



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

In constantia fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

nicos viginti, velut otiosi spectaculi studio aduectos, sic ab idolis ad Christum conuertit, vt suafore alio non egerent. Adem quatuorvitiis commisit maturis, & inter Christianos primariis; horam, & signa designauit quibus quoridie ad preces cogerentur; lustralis aqua in copia reliquit, & Calendarium Ricci abacum, temporibus, festis, & ieiuniis distinctum. Cùmque ad eos crebro reuiferet, illic etiam sepe ab Ethnicis & Christianis quærebatur & perducebatur in villas, & pagos, vnde latos metebat animarum manipulos, nec raro senum, aut ægrotantium, qui ritè abluti, nouæ vitæ candorem cælo inferebant: feruentior eo in oppido quam alibi pietas congregabat turmatim pueros ad domorum fores vt sacram doctrinam decantarent. In illa Agnes de qua cœperam, quinquennis puella, & præ iis docta, in ædes priuatorum accersebatur assidue vt mysteria fidei traderet feminis, à quibus subinde adhuc nempe ignaris abstinentiæ Christianæ, cum inuitaretur ad carnes vetitis edendas, auersabatur illas cum horrore; simulachra vero quam nihili faceret non semel, nec timide, palam professâ est. Portabatur de more in ferculo à supplicantibus simulachrum Dominatoris tenebrarum, cuius accessu aiunt Oscianni, maleficos spiritus & maleficia fugari, auramque pestilentem; idolum pro ianuis Ethnicorum sistebant tantisper, dum suo illi medico uenerationem stipem, Bonziis soluerent; excubabant ad suas ianuas Christiani, quæ illic semper patent, ne scædarentur vel obiter idoli mora, & iam constiterat ante domum Agnetis, cum illa procedens ad bajulos facessire, ait, hinc, cum hæc vestra lauua; habitat Deus in istis ædibus, nec auram noxiam, nec improbos spiritus patitur secum habitare: alias idolum similiter uici tutelare dum Oscianni circumferunt, & stipis aliquid grati animi ergo à patre Agnetis iurgando conantur extorquere, ille quod esset Christianus negat fortiter se daturum; ij negant propterea sanctum esse legem quæ officia æquitatis, & gratiæ vetaret, tumultum audiens accurrit Agnes; & tanquam expulso Bonzios alloquens, audite, inquit, & veris acquiescite. Qui Deum, cæli dominum nobiscum colit, non potest sine sacrilegio terrenum idolum colere, aut bona huic accepta ferre, quæ ab illo vno nobis proueniunt; proin abite in bonam rem, quod enim negamus non est auaritiæ vitium, sed religionis officium, ad quæ illorum Doctorum præcipuus, hoc vero inquit ex ore innocentis decet nos pro vero credere esseque molestus desit; fuisse vero id sacrilegij horrorem, non parsimoniæ auaræ studium eximè claruit cum dicente ad populum Longobardo, Christiani ædes repentinum vorasset incendium, insanis interim præ gaudio Ethnicis nedum aquæ stilla flammæ ab rebellis, quod aiebant, domo arcentibus; sub finem dicendi, Christianorum largitati, paucis miserum commendauit quem cum familia is casus, sine tecto & victu exposuerat ludibrio Ethnicorum, nec plura; postridie mane præsto sunt omnes Christiani cum trahis, iumentis,

In constantia fidei.

Fraterna caritate.